# DE
# DIATHESI PURULENTA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

VENIA ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ADIPISCENDOS

SCRIPSIT

ET DIE XXI. M. OCTOBRIS A. D. MDCCCLXIV.

HORA XII.

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

RICHARDUS LANGENBERG

SAXO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

BRUNO KOHLHARD, DR. MED.
ARMINIUS PARREIDT, DR. MED.

HALIS SAXONUM.

FORMIS PLOETZIANIS.

MANIBUS

**PATRIS OPTIMI**

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

**PIO GRATOQUE ANIMO**

OFFERT

AUCTOR.

# PRAEFATIO.

Non propositum mihi est, ut hoc exiguo libello de hac re satis adhuc incognita et obscura aliquid novi in lucem proferre velim. Neque enim ignoro, nonnullos doctissimorum ac praestantissimorum virorum hoc de argumento scripsisse et inter se contendisse, ita tamen, ut res ipsa, de qua quaestio haberetur, perfecte illustrari posset. Duae vero causae prae ceteris me adduxerunt, ut hoc potissimum dissertationis argumentum eligerim, primim quod ipse nonnullos casus diatheseos purulentae observare potui, deinde quod Ill. Weber, qui pro insigni sua benignitate et humanitate me hac in re exploranda imprimis adjuvit, mihi suasit, ut hanc rem libello tractarim. Quamquam negare nequeo, quaestionem hujus rei mihi non exiguas difficultates obtulisse, cujus rei causam in eo maximam positam esse opinor, quod sententiae

variorum auctorum de natura et origine hujus morbi vehementer adhuc inter se discedant. Denique facere non possum, quin Ill. Weber pro egregia benevolentia atque comitate, qua historias morborum observatorum mihi utendi causa permisit, maximas et sinceras gratias agam.

## De significatione morbi.

Notio diatheseos purulentae occasionem praebuit res singulas mire inter se confundendi. Wunderlich sub hac voce pyaemiam spontaneam et primariam significari vult, cum Billroth pyaemiam in universum intelligendam esse censet. Equidem, etsi minime audeo dijudicare, utra sententia veritati proprior sit, tamen me propensiorem esse confiteor ad sententiam Ill. Wunderlich probandam, et quatuor casus pyaemiae spontaneae primariae simulqne quintum quoque casum chronicae pyaemiae, igitur secundum Billroth deatheseos purulentae chronicae, qnae hoc auctore referente rarissima est, explicabo. Ut naturam deathesis purulentae secundum utramque interpretationem recte et penitus cognoscamus, demonstrari oportet, quid cum priore tum recentissimo tempore ea de re viri docti cogitaverint. In pristina arte medica doctrina de metastasibus et diathesibus longissime pervagata erat, quarum naturam ita interpretari solebant, ut quodammodo morbus locum et sedem mutare et materia peccans alio commigrare videretur et opinabantur in perturbationibus aut re vera aut speciose tantum superficialibus materiam morbi a cute decedentem ad internas partes se conferre. Verumtamen significatio metastasis magis magisque in suspicionem virorum dostorum incurrit et angustioribus finibus inclusa est, donec e numero terminorum recensioris medicinae prorsus fere tolleretur, cum nova doctrina in ejus locum succederet, qua nonnullae res et affectiones antea metastasium nomine appellatae explicarentur, dico doctrinam de pyaemia. Hodierno tempore de formis morborum, quae ad pyaemiam quae vocatur referuntur, primum pravi illi casus post vulnerationes incidentes animos doctorum attenderunt[1], et jam Paré abscessus cognoverat, qui capite laeso in hepate ingruerent. Quantum quidem puris coacervatio in totum corporis organis-

mum atque ad generandos graves letalesque casus valuerit, nonnulli prioris temporis perscrutatores perbene cognoverunt, veluti Boerhave (§. 406) jam paucis ac dilucidis verbis refert, quomodo pus in sanguinem transeat et qui effectus eo recepto sequantur. Abscessus secundarios post vulnerationes secutos et ipse et van Swieten, et Morgagni perspexerant, quorum hic extremus sedem abscessuum praecipue in pulmone, hepate, liene et pleura positam esse significat. Diligentius porro viri chirurgiae periti disquirebant, qua ratione recessus puris qui vocatur procederet, et symptomata pyaemiae jam ab J. L. Petit, qui etiam pus in sanguine et organis secretionis suspicatur, atque a Brambilla satis accurate explicentur. Ab John Hunter historia phlebitidis exordium sumit, sed hic tantummodo propagationem inflammationis in regione venae laesae ad peripheriam versus etiamque ad cor magni momenti esse opinatur, ac si de pure in circulationem recepto loquitur, in eo tantum mortis causam esse arbitratur. Transactions of a soc. for the improvement of med. and chir. Knowledge 1793. Doctrina de phlebitide magno studio arrepta et latius divulgata est, idque eo libentius docti fecerunt, quod certe graviores febriculentae affectiones vulneratorum, puerperarum aliorumque hominum ad inflammationem venarum referri potuerunt. Dance, Arch. gén. A. XVIII. 473. Hoc eo usque processit, ut Cruveilhier diceret: La phlébite domine toute la pathologie. In primo quoque vulneratorum aut puerperarum frigore diagnosis de phlebitide instituebatur; si multiplices abscessus in cadavere inveniebantur sua sponte videbatur intelligi, causam eorum ex phlebitide esse repetendam et vix operae pretium existimabatur istam venam affectam anquirere. Leves tantummodo dubitationes exstiterunt contra hanc opinionem firmissime stabilitam, quae propterea quoque omnino doctrinae convenire putabatur. Ecce exortus est Tessier qui opinioni de primaria phlebitide doctrinam primariae pyaemiae vel diathesis purulentae proposuit. Sitzung der Acad. de med. 11. Octob. 1836, Gaz. med. X. 385. Itaque controversiam excitavit, qua omnes fere Francogallorum chirurgi et pathologi illi adversati sunt. Ita Castelnau et Ducrest dubitant occurrere casus pyaemiae spontaneae et primariae

id est ejusmodi affectionum, in quibus sine inflammationibus traumaticis purulentis, sine suppuratione puerperali, omnino sine antegressa suppuratione locali idemque sine infectione, quae demonstrari possit, pyaemicus qui vocetur processus exoriatur. Pyaemiam strictissimo sensu spontanea et primaria ratione se evolvere posse, minime animum adducere possum ut contendam. Iampridem viri docti desierunt voce pyaemiae certam et demonstrabilem sanguinis conditionem intelligere, neque magis contendi potest producta morbi semper in pure constare. Quodsi de pyaemia spontanea et primaria loquor, ejusmodi tantum casus hoc vocabulo significari velim, in quibus nusquam infectionem, sive per alios pyaemia affectos, sive aliis quibusdam causis virulentis effectum habuisse virisimile sit; deinde in quibus omnino nulla causa valuerit, cui aliquam cohaerentiam cum insequentibus perturbationibus intercedere intelligi possit; tum in quibus a singulari quadam locali suppuratione vel tabificatione gravis universalis affectio et multiplicum focorum formatio derivari nequeat; denique in quibus e contrario multiplices aegrotationis foci etsi diverso gradu evoluti, tamen ubique recens exorti neque nullo locali connexo inter se cohaerentes, variis in organis inveniantur. Etiamsi concedi non posse judicetur, ut morbus voce spontaneae et primariae pyaemiae significetur, tamen in casibus enumerandis satis momenta propria et congruentia reperiemus atque inde nobis persuadebimus, quantumvis anatomica et symptomatica ratione pyaemiae magnam similitudinem offerant, tamen eos origine ab hac differre.

## Aetiologia.

Causa diatheseos purulentae adhuc perobscura et controversa est. Wunderlich in quinque casibus, quos observavit et descripsit, invenit tribus casibus vim humoris, bis hominibus in conclavi humido dormientibus, semel aegroto ex aqua pluviali matefacto hanc affectionem generasse ejusque eruptionem determinavisse. Initium morbi eo auctore semel Ianuario, ter Februario, semel Iulio mense, qui illo potissimum anno largo humore et frigore insignis fuerat, observatum est. Iis quoque

casibus, qui in clinico hujus urbis nosocomio atque in usu policlinico observati sunt, bis causam affectionis in perfrictione aliqua positam suspicari potuimus, ceteris exemplis, ut plerumque fieri solet, pathogenesis prorsus incognita erat, Quantum ad aetatem aegrotorum attinet, omnes quinque aegroti robustissima vitae aetate utebantur, scilicet quatuor inter annos 21 et 26 unus anno 39. Iis quoque casibus, qui nostra in urbe observati sunt, aegroti aut puerili aut maturiore aetate utebantur. Purulenta diathesis etiam multo saepius in infimo hominum genere, in vita aerumnosa, malis alimentis et neglecta diligentia, quam in ordinibus superioribus bono victu et nutritione inveniri videtur. Iam vero, quomodo diathesis purulenta exoriatur, vix quidquam suspicari licet; tantummodo de infelici dispositione quadam affecti hominis cogitandum est. Aliis casibus haec dispositio videtur congenita esse, neque nisi processu aliquo opus est, ut manifestetur; aliis autem dispositio videtur acquisita sed habitualis facta esse; aliis denique casibus transitoria est. Qua autem ratione eruptio morbi adjuvetur vel promoveatur, hoc omnino nos fugit; etenim ubique perfrictionem morbi causam suppeditare, haud fere contendere licet. Deinde vix suspicari attinet, diathesin purulentam eo modo oriri, quomodo in magnis institutis obstetriciis occurrere soleat, ubi saepe partum maxime regularem febris pyaemica sequitur, quae letalem exitum concitat. Etenim in nosocomiis urbanis et institutis obstetriciis virus interdum miasmatis et contagii indolem simul prae se ferre eaque ratione maxime horrendas vastationes generare, negari non potest. Sed tempora etiam incidunt, quibus neque miasma neque contagium materiam morbi gerit, sed quibus in epidemica illa dispositione mirabili et obscura morbi causa posita est. Proprium est pyaemicarum epidemiarum, plena malignitate et pertinacia paene inevitabili tantummodo in conclavibus grassari, quibus magnus aegrotorum numerus constipetur, in nosocomiis et institutis obstetriciis. Atqui cogitari sane possit, in casibus a Wunderlich atque hac in urbe observatis pyaemiae primariae originem ex infectione natam esse, sed neque hac in urbe neque Lipsiae, ubi Wunderlich professoris munere fungitur, eo

tempore, quo hi casus observati sunt, in nosocomio urbano et instituto obstetricio, nulli casus pyaemiae epidemicae occurrerunt et exempla diathesis purulentae tam singula et rara diversissimis temporibus exstiterunt, ut hoc originis genus omnino excludi possit. Verisimilius, opinor, fuerit, substantias, quae dissolutionem subirent, in ventriculum introductas esse, inde morbum profectum esse, vel etiam diuturnam depravati aëris inspirationem morbi causam praebuisse.

## Anatomia pathologica.

Mutationes pathologicae, quae in cadaveribus hominum purulenta diathesi mortuorum apparent, in eo constant, ut sanguis intra vasa mutetur, et modo separatae, modo multiplices, id quod plerumque accidit, suppurationes telae, infarcta et exsudata in diversissimis organis adsint. Quomodo igitur hic status pathologicus oriatur, et priores et recensiores viri docti multa scripserunt. Antea quidem opinio valuit, pus, quocunque modo corpore exortum sit, statim per aperturam venae in sanguinis circulationem pervenire ac deinde quasi in variis organismi partibus deponi. Tum cogitatum est, pus, quod proprie noxium et pestiferum credebatur, a pariete vasis secerni. Jam vero Virchow demonstravit, in omni pyaemia non pus in sanguinem pervenire, sed gravissimum momentum pyaemiae orientis in sanguinis coagulatione et in mutatione thrombi quaerendum esse. Si istorum thromborum historia inquiritur, reperiri potest, massam puris similem, quae intra eos inveniatur, non ex pariete venae proficisci sed directo mutatis centralibus coagulatorum stratis nasci et chemica quidem commutatione, in qua similiter, ut hoc lenta digestione fibrinae coagulatae artificiose generari potest, fibrina in substantiam subtilium granorum dissolvitur, ac tota massa in detritum transit. Haec emollitio quaedam et regressiva formatio est organicae substantiae, in qua statim ab initio magna multitudo minimarum particularum adspicitur. Magna fila fibrinae in partes dissolvuntur, hac vicissim in minores particulas itaque pergitur, donec post certum temporis spatium massa generalis composita reperiatur e parvis, subtilibus et pallidis granulis.

Itaque microscopii adjumento adspicitur coagulatum non in purulentam sed tantum in puriformem substantiam dissolvi. Haec substantia medio in thrombo cavitatem explet, quae magis magisque delatatur et ad parietem vasis propius paullatim accedit. Sed plerumque ea sursum et deorsum recensiore et solidiore coagulati parte interclusa est, cujus hoc munus est, ut, quomodo Cruveilhier dicit, pus incapsuletur et impediatur, quominus detritus sanguinem circulantem contingat. Ex latere tantum emollitio tandem assequitur vasis parietem, qui mutatur, concrassatur simulque turbatur, ac postea tandem suppuratio intra parietes oritur. Exinde jam quaestio oboritur, quatenus thrombis emollitis singulares in corpore perturbationes ejusmodi excitentur, quae nomine pyaemiae appellari possint. Qua de re primum respondendum est, creberrime sane secundarias perturbationes nasci, sed non tam ex eo, quod massae emollitionis immediate in sanguinem perveuiant, quam inde, quod majores minoresve partes ab extremo thrombo emolliente solvantur, cum flumine sanguinis producantur et in vasa remotiora impellantur. Hic igitur processus est emboliae, quam Virchow sic nominavit.

Partibus ita productis obstructiones nascuntur in proximo systemate arteriarum et capillarium, atque his obstructionibus perturbationes in singulis organis gignuntur, quales in diathesi purulenta occurrunt, sive haec eodem sensu quo Wundcrlich, sive quo Billroth interpretatus est, intelligitur. Virchow ipse asseverat, eo loco, ubi metastases occurrant, thrombosin certorum vasorum exstare. Atqui equidem existimo, semper primarias coagulationes in aliquo vase in diathesi purulenta oriri eaque re mutationes in singulis organis determinari. Quamquam nescimus, quare coagulationes nascantur, atque ut omnia singula minima vasa in cadavere disquirantur, vel maxima diligentia adhibita fieri non potest. Gravissimus ille auctor, quem modo nominavimus, haud raro in perexiguis vasis microscopicis, quae inermibus oculis nullo modo persequi possimus, massam demonstravit subtilissimam et a priore detritu plane differentem. Facile igitur cogitari potest ejusmodi emboliam capillarem in diathesi purulenta exstare, sed tamen vel summa dili-

gentia adhibita in disquisitionem adhuc non venisse. Chelius de diathesi purulenta haec dicit: Spontanea origo puris in sanguine ipso, jam a de Haen significata, a Tessier, Walther et aliis praesumpta, a plerisque tamen negata, a Rokitansky et Cruveilhier accuratius declarata est. Ex propriis quibusdam affectionibus vel e vi constitutionis talis mutatio sanguinis exoriri posse dicitur, ut plasma jam intra vasa ad dissolutionem subeundam maxime propensum sit ita, ut in egressu diluatur et exsudationes puriformes efficiat aut intra ipsa vasa destruatur, quae conditio purulentae diathesis nomine significetur. Si hae mutationes in sanguine processurae sint, formatio coagulatarum sanguinis massarum necessaria conditio est. In tali sanguinis coagulo deinde liquefacta fibrina, quae inde excreta est, pus et sanies nascuntur.

In cadaveribus hominum ex purulenta diathesi mortuorum nonnumquam in majoribus vasibus et in corde coagulationes fibrinae inveniuntur, quae modo tenaces, modo magis molles et multae, modo rarae et gelatinosae diffluentes apparent. In fluida sanguinis parte modo nullae graviores mutationes, modo species decolorata subfusca, decolorata sanguinis corpuscula multitudine aucta sed varia, raro pus librum aut in coagulis inclusum, praesertim in corde, rarius etiam perfecta prope commutatio in fluidum puriforme. In solidis corporis partibus nutritio perturbata, languor, macies, infarcta et sanguinis stagnationes in pulmone, liene, renibus, hepate et aliis quoque in organis apparent. Porro haemorrhagiae, infiltrationes purulentae et abscessus in iisdem organis, modo singulatim disseminata, modo plura, exsudata in membranis serosis et in articulis, secretiones catarrhales, diphtheriticae et purulentae in membranis mucosis, deinde vesiculae et pustulae in cute et abscessio telae cellularis subcutaneae et intermuscularis saepe etiam muscularis. Quantum attinet ad nutritionem, praesens mollitia interdum in perfectam necrosin et pulteam emollitionem transit. Telae interdum et in gravioribus et laevioribus casibus ictericam offerunt colorationem, praecipue cutis, quamquam hepar plane librum est. Ac primum sanguinis coagulationes crebro in telis disseminatae sunt, eaque re primum su-

spicio orta est, morbi causam ex infectione repetendam esse. Dispersi foci pauci tantum aut multi adeo innumerabiles esse possunt. Modo in uno tantum organo modo in pluribus simul reperiuntur. Creberrime in pulmonibus occurrunt, deinceps in liene et renibus, tum in tela cellulari subcutanea et in cute, paulo rarius in hepate, in membranis mucosis et musculis, rarissime in cerebro. Nonnunquam sanguinis stagnationes etiam diffusae sunt, et ex conjunctione focorum disseminatorum exstiterunt, qui adhuc ex diversa coloratione et consistentia dignoscuntur. Coagulationes diffusae raro in liene et renibus, musculis, ossibus et cerebro inveniuntur, crebrius vero in pulmone, praesertim in postremis et infimis ejus partibus, in membranis serosis, in articulis et eorum vicinia, in tela cellulari, in cute atque in membranis mucosis. Nonnullis casibus contra ac plerumque fieri solet, solummodo vel certe maximam partem dispositiones in cute et tela cellulari subcutanea apparent. Haec exempla, quae nomine pyaemiae externae denotantur, auctore Wunderlich faustiora esse dicuntur, sed omnibus quinque his casibus, qui infra a me describentur, quique plane simillima sunt natura, morbus letalem habuit decursum. Infarcta autem colorem offerunt atrum, liquide rubrum vel pallidum, magnitudine ciceris usque ad ovum gallinaceum vel adeo interdum ampliore; limbum acrem praebent atque exstant in pulmone, liene, renibus, tela subcutanea et submucosa, in cute et in membranis mucosis, in hepate et musculis et prope articulos. A palladis infarctis solidas plasticas telarum infiltrationes difficile est discernere ita, ut creberrime nullo prorsus modo dignosci possint. Talibus casibus, quibus mors non continuo sequitur, infarcta et disseminatae infiltrationes plasticae in callum plus minus spissum corrugari atque etiam relicta contractione cicatricosa resorberi queunt, aut indolem tuberculorum accipiunt, aut serius vel celerius purulente liquefiunt. Qua de causa abscessus multiplices nihil aliud sunt, nisi certus evolutionis gradus productorum secundariorum. Formationi horum abscessuum variae res favent. Si exsudatum amplius est, sanae partes, quae male affectas circumdant organicam vim in illud, qnod jam natura ad dissolutionem subeundam inclinat,

exhibere non possunt. Singula organa ita sunt comparata, ut ad purulentam commutationem jam sua sponte propensa sint, veluti hepar, tela cellularis subcutanea, cutis, musculi organici, vicinia articulorum, cerebrum, glandula thyreoidea et pulmo. Genus quoque constitutionis aliquam vim exercet, cum alii aegroti ad abscessus formandos aliis propensiores sint. Raro tantum et morbo quidem diutius durante abscessus intimis in organis nascentes ad superficiem proveniunt et perrumpunt aut extrorsum aut in cavitatem; ii vero, qui superfaciei adjacent, semper fere perrumpunt.

Quod igitur attinet ad anatomiam pathologicam quinque casuum, quos Wunderlich in publicum usum edidit, hic auctor hasce mutationes in cadaveribus purulenta diathesi mortuorum reperit: Plasticas infiltrationes telarum vel plasticas exsudationes in cavitatibus serosis, catarrhos vel cruposas affectiones in membranis mucosis, emollitiones et amplificationes lienis omnibus casibus, suppurationes quater, extravasationes sanguinis ter, exsudata haemorrhagica bis, oedemata bis, item maturam putredinem cadaveris multasque mortis maculas; semel marcidum et decoloratum coagulatum in una vena, quae tamen peripheriae affectae non respondebat. Affecta organa permulta erant, et hic affectio singulorum, illic eorum integritas nulla re explicari poterat. E numero singulorum organorum affecta erant haec:

Cerebrum semel magnum offerebat extravasatum, labia semel abscessus, textura colli semel suppurationem, glandula thyreoidea semel abscessus. Cor semel infiltrationem et abscessus, bis extravasata, bronchi bis catarrhos, pulmones semel oedema, semel infiltrationem et abscessus, semel infarctum sanguinolentum, pleura ter exsudata plastica, semel purulentum et haemorrhagicum, ventriculus semel extravasatum, tenue intestinum ter catarrhum follicularem, partim in folliculis solitariis, partim in plaques quae vocantur; hepar semel parvos abscessus, lien ubique emollitionem et amplificationem, semel una multiplices infiltrationcs vel abscessus, pelvis renum bis catarrhos, semel una cum urethere exsudatum cruposum; tela cellularis semel suppurationem, semel oedema; musculi bis infiltra-

tionem et abscessus, semel extravasatum; vaginae tendinum semel abscessus, articuli bis abscessus, cutis quater extravasata, bis pustulas et vesicas purulentas et sanguinolete purulentas, bis icterum, semel erysipelas. Omnes vel certe gravissimae mutationes anatomicae mirifica ratione distributae erant ita quidem, ut primo casu sinistrum corporis dimidium, secundo truncus, tertio peripheria corporis, quarto aortae provincia, quinto superius corporis dimidium affecta essent, quamquam huius rei causae sufficientes investigari nullae poterant.

## Symptomata.

Eruptioni morbi haud raro praenuntii plus minus adspectabiles antecedunt, veluti generalis mala conditio, inquies, languor, lingua obducta, appetitus deficiens. Deinde frigoris impetus sequi solet, qui aut tantummodo in modico horrore, aut in frigore concutiente constat, atqui interdum initio rhythmice, postea vero irregulari modo repetitur. Permanet plerumque quartam horae partem, interdum ad horam. Tum sequitur ardor siccus, vel etiam statim sudor aut largus aut modicus. Aegrotus nonnunquam exeunte frigore dormire coepit ita, ut nulla praeterea symptomata exstare videantur. Sed si accuratius observatur, plerumque apparet post impetum, etiamsi is in sudorem finiatur, aegrotum adspectum minus naturalem magis affectum, oculos laguidos, pulsum paulum acceleratum, appetitum minutum praebere. Sensus bonae conditionis aegrotum deseruit; depressior est, sed tamen decurrente postero vel secundo die interdum paene perfecte recreatur. Iterum plena restitutio exordiri videtur, donec secundum frigus incerto tempore incidit, eumque etiam magis affectum, depressum et excitatum reddit. Frigora diversa vehementia et frequentia adeo eodem die saepius plerumque nulla regula, interdum initio rhythmice postea irregulariter recurrere possunt et usque ad agoniam semper subinde vehementia satis magna vel etiam acri redire aut msgis magisque debiliores fiunt, etiamsi nonnunquam aliquis acrior intercurrat, aut plane etiam evanescunt. Simul cum his frigoribus et pro iis plerumque paucis diebus multa symptomata nascuntur, quae partim gravem universalem

affectionem declarant, partim signa perturbationum localium plurium pel pauciorum sunt. Vel paulatim vel post unum frigus acerrima febris exardescit, temperatura maxime aucta, pulsu frequentissimo (120 ictibus) et initio arteria satis tensa et dura, postea crescente pulsus frequentia, qui duplex, parvus et irregularis fit. Simul sitis modo non aucta, modo crescens, modo extingui non potest. Cutis principio fervidum ardorem praebet; statim sudores magis glutinosi accedunt, in quibus illa frigidiorem tactum praebet. Multa sudamina existunt; eodem tempore cutis colorem sulflavum, flave griseum vel lividum paulum cyanoticum induit. Oculi penitus in cavitatibus jacent, adspectum pessime affectum et languidum offerunt et lineamenta faciei laguida, stupida et collapsa apparent. Macies celeriter progreditur et saepe paucis diebus ad gradum altissimum pervenit. Secretio urinae minuitur, quae valde turbida simul copiosa, plerumque sedimenta phosphatica et maturam dissolutionem ammoniacalem offert. Organa digestionis brevi tempore participant; lingua obducitur, arescit atque interdum una cum labiis et dentibus fuliginosa fit, saepe tamen mirifice pura et humida conservatur eumque statum in agonia demum commutat. Appetitus prorsus deficit. Plerumque ructus et vomitus repetitur etsi non creberrimus exstat; persaepe dolores in scrobiculo cordis et sensibilitas expressione. Modo faeces retentae sunt, modo oriuntur diarrhoeae, quae saepe dysentericae fiunt et postremo sua sponte exeunt. Abdomen plerumque tympanitice inflatur sed interdum molle et naturale manet. Respiratio semper fere acceleratur, etiamtum cum pulmones intacti manent et frequentia spiritus haud raro ad 60 amplius ductus per minutam augetur. Eodem tempore aegrotus saepe magno angore vexatur, tussis et sputa raro tantum graviora sunt, Crepitatio et rhonchus, quae in auscultatione audiuntur, signum plane incertum praebent localium in pulmone depositionum ac tantummodo depressior sonitus percussionis respiratio bronchialis vel consonantes crepitationis sonitus certa signa sunt, quibus tamen absentibus minime etiam integrum pulmonem esse demonstratur. Haec signa physicalia pro genere et locali extensione perturbationis in pulmone inci-

dunt; sed casus etiam observantur ejusmodi, quibus respiratio normalis maneat, quamquam abscessus in pectore adsunt. Aegrotus apathicus est et principio multum somniat, sed symptomata cerebri magis magisque stupori similes fiunt atque tranquillis deliriis, difficili conscientia, sopore profundiore et prostratione homo ad exitum vitae appropinquat, sive locales in cerebro mutationes exstant sive desunt. Perpaucis tantum casibus aegrotus usque ad mortem liberam conscientiam retinet, aut in acria deliria incidit, quae etiam interdum maniacalia fiunt. Simul cum his vulgaribus symptomatis pyaemicis pro sede secundariae depositionis praeterea dolores in hepate, liene et renibus oriuntur. Intumescentia parotidis et glandulae thyreoideae diphtheritides pharyngis, erysipelata, pustulae, abscessus furunculosi, profundi cutis abscessus, dolores in articulis, immobilitas et tumores, signa exsudatorum in cavitatibus serosis praecipue thoracis et abdominis. Saepe tamen gravissimae locales mutationes in organis offeruntur, etsi non singularibus symptomatis manifestentur, cum saepe aegroti de doloribus in partibus veluti in articulis querantur, quae nullum vestigium perspicuae affectionis ostendant. Longe plurimis casibus aegrotus paucis diebus conficitur. Hic decursus saepe in casibus anatomica ratione omnino similibus multiplices varietates offert. Modo nonnulla symptomata prorsus evanescunt, modo alia ingentem in modum aucta sunt. Casus modo insolite rapidi exeunt, modo longius temporis spatium decurrit, priusquam mors incidit.

Ita etiam in casibus a Wunderlich observatis haud semper eadem symptomata se offerunt. Primum certius symptoma ter syncope erat, qua correpti aegroti conciderunt. Laesiones quidem hoc modo exortae levissimae erant et primo tantum casu primo initio pro graviore perturbatione haberi potuerunt. Posterior decursus et anatomica exploratio laesorum locorum demonstravit, has laesiones ad nascentem purulentam diathesin nihil omnino valuisse. Ter in primorum symptomatum numero diserte frigus concutiens notum est, quod semel maxime protractum erat. Ab initio ubique profundus et generalis malae

affectionis sensus aderat et semel secundo die per duodecim horas aegrotus mentis impos erat.

Universalis habitus morbi et singula symptomata talia erant, ut omnibus casibus ab initio, compluribus usque ad mortem, diagnosis dubia relinquenda esset, tribus indoles complexus symptomatum plus minus typhi aliquam similitudinem ostendebat, duobus affectiones folliculares in tenui intestino evolutae erant, sed tamen non adeo, ut anatomica ratione diagnosis typhi defendi posset; semel ille catarrhus follicularis deerat, alio casu aderat sine tybhosis symptomatis. Semel diagnosis etiamtum variabat inter typhum et acutam tuberculosin. Febris intermittentis similis decursus primis diebus unius casus apparebat. Semel tantum tertio die symptomata diatheseos purulentae perspicue exstiterunt.

Singula symptomata mire varia erant, nonnulla tamen eorum constantia, quocunque modo locales organorum mutationes se obtulerunt. Frigus febriculentum uno tantum casu repetitum est, alio inter calidam lavationem sensus frigoris incidit. Cetera febris symptomata ubique vehementissima erant. Temperatura augebatur et per complures dies tantos vehementiae gradus retinebat, quanti in morbis minus perniciosis vix transeuntes occurrunt (33,5—33,0° R.) Febris horis matutinis aut nullis omnino aut levibus tantum remissionibus utebatur, quibus hic morbus a typho enterico differebat, et semel paulo ante mortem usque ad extremam temperaturam aucta est, quae omnino unquam observari potuit. Nunquam, ut in febri intermittente vehementiore, intermissio exstitit. Sitis ubique acerrima erat. Pulsus in universum ardori conveniebat, quaque minuta 112—148 ictus offerebat et raro tantum infra illum terminum cecidit. Duplices ictus aliquoties sunt observati. Manifestatio et sensus prostrationis ubique perspicue animadvertebantur. In omnibus mature modo transeuntia modo diuturna symptomata collapsus exstiterunt. Semper gravia cerebri symptomata aderant. Vertigo, tinitus aurium, dolor capitis plerumqne aegrotum vexabant. Deliria nusquam deerant sed perpetua permanebant. Maturae syncopae, conscientiae defectus, somnolentia compluribus casibus. Ter vultus mirifice torvus, bis pu-

pilla inaequalis, semel vultus horrente distractus. Omnium horum gravissimorum cerebri symptomatum in sectione nulla prorsus causa demonstrari potuit et semel, cum apoplexia incidebat inter morbum conscientia optime conservata et rare tantum deliriis et somnolentia interrupta erat. Conjunctivitis bis, dyspnoea quater gravis erat et haec semel nullam relationem ostendebat ad levissimas in respirationis organis perturbationes. Semel altissimum gradum consecuta est. Appetitus nunquam omnino deerat, item siccitas vel obductio linguae. Diarrhoea semper plerumque mature incidebat modo exigua modo larga. Faeces plus minusve subflavae erant ita, ut nulla strata, qualia in typhosis occurrunt, prae se ferrent. Abdomen inflatum et magis minusve tensum sensibilitas ejus et strepitus in regione ileocoecali quater; ter de abdominis doloribus aegroti querebantur. Lienis amplificatio ubique per vitam demonstrata erat, sed ejus regio nunquam sensibilis. Albumen in urina quater animadversum est, quinto tantum casu ante mortem evanuit. Sanguis in urina bis apparuit; articulorum dolores nunquam deerant, iis etiam in casibus, quibus nullum vestigium anatomicae perturbationis in articulis et eorum vicinia reperiri poterat. Hae articulorum molestiae cum siti gravissimas querelarum causas aegrotis praebebant. Quater cutis colorem cyanoticum obtulit, bis ictericum. Sudores praecipue tribus casibus copiosi. Uberrima sudamina bis oriebantur; rarae roseolae in trunco, ter petechia, majores maculae lividae et sugillationes. Semel eruptio pustularum esthymatis et vesicae sanguine et sanie refertae in manibus et pedibus apparuerant, alio casu eruptio pustularum ecthymatis et vesicae pemphygi in dorso.

Prognosis, si purulentam diathesin secundum Wunderlich interpretamur, maxime infausta dici potest. Quinque enim casibus, quos descripsit, aegroti omnes mortem obierunt. Unus casus acutissime jam quarto morbi die exiit et quamquam extravasatum cerebri postremo incidit, aegrotus etiam sine illo propter gravissima symptomata nullum diem vitam produxisset. Duo casus duodecimo et alii duodecimo quinto die post impetum letalem exitum habuerunt sine gravibus agoniae sympto-

matis rapidae consumptionis instar, semel tantum acerrima dyspnoea miserrimam mortem adductura esse videbatur. Eadem sors iis aegrotis obtigit, quorum historiam hoc libello enarrabo, qui omnes vita decesserunt.

## Therapia.

Therapia proprie nulla alia esse potest nisi symptomatica. Cum enim primam originem diathesis purulentae ignoremus, tollitur indicatio illa a Chelio proposita, ut omnis causa hujus morbi praecaveatur. Neque melius indicatione secunda, ut impediatur, quominus pus longius penetret, ad therapiam uti possumus, cum pus jam diu in corpore mutationes suas inceperit, priusquam omnino ad propriam diagnosin veniamus et ne sciamus quidem, quomodo, qua re et quo loco in corpus introductum sit. Hoc potius therapiae propositum est, ut opera detur, ut locales casus tollantur, deinde ut vires aegrotorum alimentis bonis et ad digestionis statum aptis adjuventur et processus morbi quam maxime protrahatur. Ante omnia necesse est aërem in aegrotorum conclavibus bonum esse, secreta et excreta mature inde removeri. Curatio casuum purulentae diathesis ex sede et gradu inflammationis, quam pus efficit, et ex indole symptomatum generalium pendet. Si in pulmonibus metastasi puris subito respiratio impeditur et circulatio conturbatur, sanguinis detractiones cum cutis irritamentis ad extremitates adhibendae sunt (Sédillot). Si frigoris impetus incidit, sed pauca tantum symptomata localis inflammationis apparent, emetica, etiam saepius adhibita, semper decursum purulentae diathesis bene afficiunt. Si casus localis inflammationis praesertim in pulmonibus demonstrari possunt, in junioribus et robustis acri inflammatione venaesectio indicata esse potest (Chelius), sed universalibus sanguinis detractionibus summa tantum diligentia utendum est, cum propter remanentem debilitatem statum celeriter depravare possint. Aptius igitur inflammatio impugnanda est potionibus refrigerantibus, acidulis copiose haustis, nitro, ammonio muriatico, tartaro emetico, potione Riveri, calomelane, antimoniacalibus cum squilla

drasticis refrigerantibus et praecipue aconito, quod, etsi non specificum sit contra diathesin purulentam, tamen aegrotis semper permagnam recreationem affert. (Tessier). Tinctura aconiti vel extractum, sed crescentibus et magnis dosibus, extractum 6—8 grammatis 24 horis praebetur. Externa remedia deducentia et resolventia, irritantes cutis infrictiones, siccae cucurbitae, sinapismi, cauterisationes punctiformes dolentium locorum pectoris, articulorum et aliarum regionum semper multum proficere, aegrotum levare et resolutionem adjuvare possunt. Vesicatoria minus idonea sunt (Sédillot). Etiam chinino, vino, camphora uti licet, praesertim in stadio prostrationis, tamen Chelius chinino negat se unquam boni quidquam profecisse. Si abscessus matastatici in externis partibus nascuntur, cataplasmata adhibentur, atqui illi aperiuntur, perspicua fluctuatione exstante. Postea cataplasmata sunt continuanda. Lancetta quidem aperire aptissimum est. Sédillot et alii magnos abscessus punctioue vel cauteriis apparuerunt. In magna debilitate, sopore, deliriis potiones acidulae idoneae sunt veluti vinum, china, arnica, serpentaria et similia.

## Historia morbi I.

G. Fr. puella 28 annos nata semper sana fuit, ex decimo quarto aetatis anno regulariter nullisque doloribus postremo tribus abhinc hebdomatibus menses habuit. Die 24 mensis Oct. anni 1863 vesperi subito frigore concutiente correpta est ad semihoram. Aegrota postera nocte dormire non potuit, multo ardore, siti et sudore, mane doloribus acriter pungentibus in dextra axillae cavitate vexata est. Articulus humeri intumuerat et fervebat, motus dextri brachii sublatus, rotatio dextrorsum impedita. Dolores durabant et in respiratione et tussi augebantur. Simul levis tussis cum paucis sputis albis mucosis et brevi respiratione insufficiente incidit. Aegrota ex initio morbi usque ad receptionem in clinicum propter dolores non dormivit. Nullo proprio capitis dolore laborabat; ex die demum 26 illius mensis capite paulum occupata erat sine magna vertigine. Appetitus statim ab initio morbi defecit. Magna

depressio extremitatum, humerus paulum tumidus dolebat; faeces initio tenues, urina obscura et turbida. Causam affectionis repetit ex perfrictione inde accepta, quod nudis pedibus sub divo incedebat. Die 29 m. Oct. in clinicum recepta est.

Status praesens d. 29 m. Oct. Situ delapso dextro lateri incubat; species faciei non abnormis. Corpus modice longum, cutis crassa, rigida, alba, sicca; panniculus adiposus bene evolutus, caput normale. Facies paulum rubefacta, respiratio alarum nasi, pupillae pariter reagentes, conjunctivae injectae, labia rubra sicca, lingua humida parum obducta. Collum bene constructum, dextro latere diffusa intumescentia, quae usque ad humerum et ultra claviculam pertinet et maxime dolet. Glandulae non intumuerunt, carotides vehementer pulsant. Aegrota caput oblique dextrorsum et retrorsum tenet, thorax bene constructus, dextrum latus non respirat; cutis omnino tumet, vehementer dolet.

In margine inferiori musculi pectoralis majoris duritia diffusa pomi magnitudine sub cavitate axillae, acriter dolens.

Percussio dextra parte fieri non potest, sinistra normalis, respiratio vesicularis. Depressus cordis sonus loco et magnitudine normali; soni puri. Hepar propter dolores dextri lateris diligenter examinari non potest. Abdomen magnum, uterus usque ad latitudinem duorum digitorum sub umbilico pertinens, nusquam dolens, accurate deprehendi potest. Toto dextro latere dorsi cutis valde tumida et oedematosa est, vehementissime dolet. Respiratio pura vesicularis, sinistra parte normalis. Cataplasmata calida et infrictiones chloroformi adhibita sunt.

Dies I. Tumor decursu temporis minor et multo miuus sensibilis fit, tamen locus dolens in regione scapulae manet; nusquam fluctuatio. Temperatura 33° R. pulsus 152, respiratio 44. Usque ad duodecimam horam dormivit, tum dolores partus existunt et uterus nullo artis adjumento foetum septem mensium simul cum placenta edit. Levis modo sanguinis effusio incidit et uterus bene contrahitur. Multum nunc strepitu in auribus, doloribus capitis, noctu subito audiendi difficultate laborat. Dolores in dextro latere paulum minores, sed pressu

totum dextrum dorsi et pectoris latus adhuc valde sensibile est. Tumor minui videtur, in interiore margine musculi pectoralis majoris duritia.

Dies II. T. 31,6, p. 128, r. 40. Dolores non valde magni; languorem sentit, halucinatur et somniat multum; caput paulo liberius est et aegrota rursum bene audit. Lingua humida et modice obducta est. Tumor in dextro pectoris et colli latere minor. Dextrum dorsi latus praecipue infra et in latere dolet et oedematose tumet. Respiratio vesicularis. Uterus modice magnus, durus, aliquantum dolens, fundo dextrorsum vergit. Faeces pulteae subvirides.

Dies III. T. 31,2, p. 120, r. 40. Nunquam dormivit, perpetuo halucinata est, et e lecto saliit; sed caput mane liberum est. Abdomen inflatum, dolet, in inferioribus partibus resistens. Urina cathetere egesta turbida, obscuro colore erat. Nunc dextrum quoque femur dolet etiamque dextrum dorsi latus. Vesperi dextrum femur dolens et oedematosum fit. Dextrum trunci latus minus tumet, desquamatur. In indice sinistrae manus super articulum primae phalangis erythema cutis.

Dies IV. T. 31,6, p. 144, r. 56. Totum diem halucinatur, sine conscientia jacet, vehementer ardet, non respondet. Respiratio celerrima, ubique vesicularis, dextra parte levis crepitio. Percussio normalis; cordis soni puri, hepar normali magnitudine. Abdomen tensum, in inferioribus partibus resistens et depresso sono. Sinister cubitus et pedis articulus et dextrum genu maxime dolent. In sinistro externo malleolo et in primo articuli sinistri indicis rubor erysipelatosus. Pulsus parvus, paene innumerabilis, nasus et extremitates frigida. Aegrota tranquilla jacet respirationes ductibus magis magisque citis et brevibus, donec vesperi mortem obit.

Sectio 12 horis post mortem. Corpus satis magnum, bene nutritum. Satis multae et obscurae mortis maculae, musculorum rigor levis. Caro musculorum atro rubore, panniculus adiposus large evolutus. Cerebrum multo sanguine refertum nihil abnorme praebet.

Pulmones aperto thorace parum relabuntur. Pleurae ca-

vitates vacuae, in dextra pleura inferiore pulmonis margine sparsae, leves purulentae fibrinosae coacervationes. Pulmonum parenchyma utroque latere scintillarum instar crepitans, pressu largissimam copiam seri spumosi, sanguinei edit. Bronchorum membrana muscosa et glandulae normales. Pericardium nullum fluidum continet, nulla turbatio, caro cordis rubra, firma. Endocardium plane intactum, valvulae sanae. Apertum cavum peritonei nonnullis libris fluidi subflavi purulenti refertum apparet. Peritoneum valde injectum, partim pseudomembranis obtectum. Hepar paulum magnum, plane molle in dissectionis superficie subflavum dilucidis cum insulis. Lien magnus, parenchyma prorsus molle et marcidum, satis sanguine refertum. Renes utroque latere majores quam normali statu, multae stellulae Ferreinii; capsula facile detrahi potest; in dissectione sanguinolenti, flavi; fines inter pyramidem et corticem non plane perspicui. Ventriculus fere 12 uncias fluidi obscuri, fusci, tenuis continet. Membrana mucosa satis intacta. Intestina nihil abnorme habent. Uterus capitis infantis magnitudine firmus et durus. Ovaria valde aucta, mollia, specie gelatinosa. In dissectione in utroque recens corpus luteum et juxta illud vesicae flavae, quae detergeri possint, in parenchymate impositae ita, ut in dissectione species marmorea et figurae musivae existant. Parenchyma valde imbibitum, specie gelatinosa, sanguinolentum, vasis refertis. Tubae maxime tumidae rubefactae. Fimbriae admodum intumuerunt. Ex tubis fluidum purulentum exprimi potest; membrana mucosa tubarum decolorata, involuta. Uteri substantia dura, alba. Numerosa vasa praecipue in posteriore pariete prope insertionem latorum ligamentorum subflavis massis dimitio coagulatis purulentis referta, quae exprimi possunt. Ejusmodi vasa in latis ligamentis valde oedematose tumentibus reperiuntur. Membrana mucosa uteri massis decoloratis fusce rubidis, foetentibus obducta, praecipue in loco placentari. Vesica, vagina, rectum nihil abnorme; serosa eorum tegumenta turbata, injecta. Cavum Douglasii pure tenuis fluidi refertum. In dextra axillae cavitate sub fascia musculi pectoralis majoris diffusa puris congeries invenitur, quae sursum sub clavicula pergens usque in musculos colli

supra scalenos sub sternocleidomastoideo, deorsum usque ad inferiorem thoracis marginem sub serrato, retrorsum paene usque ad collumnam vertebrarum, in anteriorem partem paulo ultra lineam axillarem pertinet. Articulus humeri plane intactus; vena axillaris per focum puris permeat, sanguinem et recentia sanguinis coagula continet. Dexter genu et sinister pedis et sinister cubiti articulus pure refertus est. Ceteri articuli praecipue primus sinistri indicis liberi, item supra sinistrum externum malleolum.

## II.

Bertha Fr. puella 1½ annum nata statim a partu haud bene nutrita erat, per unum annum lactabatur, sed irregulariter. Lacte depulsa perpetuis diarrhoeis laborabat. In morbillos incidit, qui tamen bene decurrebant et pauca symptomata praebebant. Tussim nullam retinuit, diarrhoea tantum permansit. Quatuor hebdomatibus postquam morbillos superavit, repente abscessus in capite apparuerunt, qui confluebant, quia mater eorum aperturam permittere nolebat. Brevi tempore post in cetera quoque cute parva loca fluctuantia exstiterunt, quae verisimiliter pus continebant. Simul puella acria cerebri symptomata praebuit, capite retrorsum se flectebat, oculos distorquebat et interdum convulsionibus vexabatur. Lingua obducta erat, nullus omnino ciborum appetitus. Tussis exarsit cum sputis; in pulmone tamen nihil nisi acrior vesicularis respiratio demonstrari poterat. Percussio et ipsa nihil prodebat. Hepar et lien non abnormi magnitudine. Febris, quae simul cum abscessibus in capite exarsit, leves modo remissiones habebat. Infans magis magisque collapsa est, respiratio brevior evasit, donec quinque diebus post eruptionem primorum abscessuum mortua est.

Sectio 30 horis post mortem. Corpus valde macrum. Tota capitis cutis multis magnis ulceribus obtecta, quae profunde penetrant et magnitudinem usque duorum thalerorum assequuntur. Os perfecte nudum, ulcera ipsa decolorata et vicinia colore cyanotico. In reliquo corpore multae prominentiae magnitudine ciceris usque ad juglandem saccos puris formant.

Cutis livide flava paulum icterica. In pulmone multi abscessus usque ad magnitudinem ovi columbini, plerumque infra superficiem positi. In bronchis mucus purulentus. Sinister pulmo parvus, in inferioribus utriusque lobulis languidae infiltrationes sine abscessibus. In utroque cordis ventriculo sanguis obscurus pici fluidi similis. Glandula thymi minima paene evanuit. Hepar pallidum cum nonnullis flavis maculis. Vesica fellea valde referta. Lien parvus non abnormis. Renes paulum pallidi, pariter turbida capsula; substantia corticalis admodum injecta. Intestina multis faecibus pulteis referta; membrana eorum mucosa maxime pallida et aliquot locis injecta; glandulae recti et mesenteriales magnopere tument.

## III.

I. infans quatuor hebdomates nata a partu diarrhoea et vomitu laboravit, et 14 dies nata curam subiit. Decem diebus ante mortem in capite et corpore abscessus numero fere duodecim apparuerunt. Praeterea nonnullae vesiculae purulentae et erythema labiorum pudendi. Infans in febrim incidit, lingua crasse obducta. Vomitus et diarrhoea permanebant et raucedo accessit. Extremis diebus etiam effusio e sinistra aure exstitit, Infans ne minimum quidem appetitum praebebat et cibos vi infusos rursus evomebat. Cerebri symptomatis et brevi respiratione vexata pulmonum oedemate confecta est.

Sectio 20 horis post mortem. Corpus satis bene nutritum. Abdomen subviride satis inflatum. Abscessus in capite, brachiis et dorso ciceris magnitudine; mortis maculae largae, rigor mortis praecipuus. Pulmones non abnormes excepto oedemate in inferioribus partibus. Bronchorum membrana mucosa et glandulae sanae. Cor normalę in dextro ventriculo coagulum fibrinae. Hepar haud magnum, colore fusco, aequabile in dissectione; vesica fellea paene vacua. Lien satis parvus non abnormis; renes normales, nonnulla infarcta exigua praebent. Ligamentum teres normale; suppuratio enim umbilici in illud non propagatur et tantum in externa cute exstat. Intestina paulum rubefacta; glandulae solitariae permultae adspiciuntur, tamquam alba puncta. Rectum valde injectum; glandulae me-

senteriales cicerum magnitudine, tument. Ventriculus sanguinem fuscum mutatum, muco mixtum continet.

IV.

F. B. puer quatuor annos natus e familia satis sana ortus erat; primo et secundo anno spasmos habuisse, ceterum sanus fuisse dicitur. Duabus hebdomatibus ante mortem subito in frigus concutiens incidit, quod paulo post ardor excepit. Gravia cerebri symptomata praebuit. Sitis aderat, temperatura aucta, appetitus defecerat, lingua obducta. Frigus concutiens eodem die semel etiam recurrit, deinde desiit. Sed febriculenta symptomata altum gradum retinebant. Postridie post primum frigus concutiens pustulae ecthymatis in corpore apparebant, et glandula parotis tumere et dolere coepit. Postea etiam parva loca fluctuantia in cute accesserunt, quae prorsus insensibilia et quorum cutis normalem speciem praebebat. Repente in magnas respirandi angustias incidit cum albis sputis. Temperatura valde aucta et pulsus maxime acceleratur. Auscultatio et percussio utriusque lateris pneumoniam in partibus inferioribus declaravit Hepar auctum constitutum est, lienis non abnormi magnitudine. Ulcera suppurari pergebant, adhuc oedema pedum manuumque accessit et aegrotus ex parentium relatione tranquille et sine magna angustia ex debilitate decessit.

Sectio. Corpus macrum, satis valde pallida; pedes manusque oedematosae. Abscessus in parotide et ulcera in cute profunde intrantia. Utroque pulmone infiltrationes pneumonicae pomorum magnitudine, quae obscuro margine normali parenchymate acriter circumscriptae erant. In superficie dissectionis locorum infiltratorum ex pressu fluidum purulentum crassum egeritur. Ceterae partes pulmonis nonnullis locis emphysematosae. In dextro pleurae cavo parum fluidi. Cor normale nonnulla obscura soluta sanguinis coagula continet. Hepar magnum, pallidum. Vesica fellea tenui bile referta Dissectum hepar speciem marmoream praebet; in cultro obductio adiposa. Lien non obnormis, renes anaemici; pyramides paulo obscurius prominentes. Membrana mucosa ventriculi pallida, multo muco contecta, glandulae mesenteriales vehementer tument, intestina maxime contracta; nonnullis locis parvae sugillationes.

V

F. mulier 36 annos nata, orta ex familia, in qua tuberculosis pulmonum dominabatur. Infans scrophulosa erat, ceterum sana. Annis 15—16 aetatis chlorosi laboravit. Anno septimo decimo nupsit multosque liberos celeriter deinceps peperit omnes tamen sanos. Biennio ante mortem in febrim incidit cum tussi et sputis subflavis, dolores pungentes in pectore, ut dicebat, ex perfrictione, simul celerrime debilitata est. Sputa initio copiosa et malo odore erant, postea remiserunt ac denique prorsus desierunt, item febris. Cito recreata vires recuperavit et bene se habuit. Proximo vere per totum corpus dispersi multi tumores apparuerunt sine inflammatione, initio dolore vacui, emolliti vero dolebant. Nonnulli rubescentes cute eruperunt, alii incisione aperti sunt. Hinc pus bonum et laudale effluxit, quod tamen secretione diutius permanente aquosum et foetidum evasit. Sedebant in tela cellulari subcutanea, ac tantum usque in muculorum interstitia pertinebant, margines sinuosos offerebant neque falile sanari poterant; initio rapidissime decurrere videbantur; alii dissoluti, alii indurati sunt. In dextra brachio contractura tendinum flexorum nata est. Generalis conditio primo parum affecta erat; sed simul cum eruptione abscessuum febris aderat, quae postea aucta typicam exhibuit indolem. Sitis acris, vires debilitatae suppuratione. Appetitus deerat, itemque tussis et sputa; faeces modo retentae modo tenues; capitis dolores nulli. Febris semper acerrima. Aegrota noctu propter dolores nunquam dormiebat; nunc de capitis doloribus questa et pertinacissimis diarrhoeis vexata est. Tussis rediit, quae primo sputa mucosa, deinde crassa, purulenta, flava, copiosa ejecit. Aegrota rauca evasit, tamen in pectore omnia symptomata objectiva defuerunt. Status in dies magis dubius factus est, donec aegrota cum symptomatis oedematis pulmonum mortem obiit. Therapia tantum symptomatica fuit. Ulcera lapide infernali adurebantur. Praeterea ad vires reficiendas chinae decocta, cerevisiam, vinum hauriebat, ut diarrhoeae sedarentur et somnus efficeretur opium, lactucarium et Morphium.

Sectio. Corpus macerrimum. Pulmones cum veteribus pleurae adhaesiones a pristinis inflammationibus ortis non collabuntur. In utriusque pulmonis apice complures cavernae juglandis volumine. In bronchis mucus crassus et tenax; dissectis pulmonibus fluidum spumose serosum. In pericardio parum fluidi. Hepar et lien paulo aucta, renes normales, glandulae mesenteriales tument. Intestina injecta.

# VITA.

Natus sum Adolphus Richardus Langenberg in vico Rasberg prope Zizam sito die XXVIII. mensis Mart. anni XL h. s. parentibus Johanne Christiano praedii possessore, quem morte mihi ereptum proximo anno valde lugeo, et Johanna e gente Schirmer, quam adhuc vivam summo amore diligo et veneror. Confessioni addictus sum evangelicae. Primis literarum rudimentis Zizae instructus scholam Halensem frequentavi, quae realis vulgo dicitur. Sed cum hujusce scholae institutione illa haudquaquam assequi potuissem, quibus ad posteriorem vitae aetatem opus esse videretur, ea relicta gymnasium adii, cui nomen est scholae latinae. Ibi auctumno anni LX h. s. a rectore Eckstein, quo dirigente hoc gymnasium maxime floruit, testimonio maturitatis instructus in academiam Lipsiensem me contuli, ubi a rectore magnifico Ill. de Waechter in numerum civium academicorum receptus medicis literis cognoscendis operam dedi. Illic per duo semestria has scholas frequentavi: Ill. E. H. Weber et Ill. Ed. Weber de anatomia, Ill. Hankel de physice experimentali, Ill. Poeppig de Zoologia, Ill. Kuehn de chemia, Ill. E. H. Weber de physiologia et Doct. Hermann de logice.

Quo tempore absoluto Halensem academiam petii, in qua apud Ill. Jacobi nomen dedi Ill. Blasio gratiosi medicorum ordinis h. t. Decano. Scholis interfui hisce: Ill. Volkmann de anatomia corporis humani, de arte cadavera rite dissecandi, de physiologia, Ill. Welcker de anatomia organorum sensibus inservientium, Ill. Heintz de chemia experimentali et physiologica, cujus etiam cursum experimentalem ipse absolvere idoneum existimavi, Ill. Blasius de chirurgia generali et speciali, de akiurgia, de ossibus fractis et luxatis, de chirurgorum auxiliis mechanicis, Ill. Krahmer de pharmacologia, Doct. Franke de arte obstetricia theoretica, Ill. Weber de pathologia et therapia speciali, Ill. Colberg de anatomia pathologica, duce Ill. R. Volkmann chirurgicis operationibus in cadaveribus adfui.

Quibus omnibus viris illustrissimis optime de me meritis maximas gratias habeo semperque habebo. Iam vero tentamine tam physico quam medico, nec non examine rigoroso rite superatis, spero fore ut hac dissertatione et thesibus publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

# THESES.

I.

*Ulcera typhosa nunquam restrictionem intestinorum relinquunt.*

II.

*Punctio velamentorum foetalium certissima ratio est, qua partus praematurus arte praeparetur.*

III.

*Plerisque casibus gangraenae nosocomialis neque miasma neque contagium demonstrari potest.*